26

editae sortis. Quippe consulenti responsum erat ducem in Persidem ferentis uiae Lycium ciuem
fore. Igitur promissa quanta et praesens necessitas exigebat et ipsius fortuna capiebat hono
ratum armari iubet Macedonum more, et quod bene uerteret monstrare iter, quamuis arduum
et praeceps euasurum se esse cum paucis, nisi forte crederet qua ipse pecoris causa forte isset Ale
xandrum pro gloria et perpetua laude ire non posse. Etiam atque etiam docentem captiuum quam diffici
le iter esset maxime armatis. Tum rex inquit, praedem me accipe neminem eorum qui
ire sequuntur recusaturum qua duces. Cratero igitur ad custodiam castrorum relicto cum
peditibus quis assueuerat et his copiis quas Meleager ducebat et sagittariis
equitibus M, praecipit ut castrorum specie manente plures de industria ignes fieri im
peret, quo magis barbari crederent ipsum regem in castris esse. Ceterum si forte Arioba
rzanes cognouisset per callium anfractus intrare et ad occupandum iter suum partem
copiarum temptasset opponere, Craterus eum illato terrore retineret ad propius periculum
conuersurum agmen. Sin autem ipse hostem fefellisset et saltum occupasset, cum trepidan
tium barbarorum tumultum exaudisset persequentium regem, id ipsum iter quo pridie pul
si fuerant ne dubitaret ingredi, quippe uacuum fore hostibus in semet auersis. Ipse ter
tia uigilia silenti agmine ac ne tuba quidem signo dato pergit ad demonstratum
iter callium. Tridui alimenta portare militem iusserat leuiter armatum. Sed praeter
inuias rupes ac praerupta saxa uestigium subinde fallentia nix cumulata uento
ingredientes fatigabat. Quippe uelut in foueas delati hauriebantur, et cum a com
militonibus alleuarentur, trahebant magis adiuuantes quam sequebantur. Nox quoque et
ignota regio ac dux incertus an satis fidus multiplicabant metum: si custodes
fefellissent, quasi feras bestias ipsos posse deprehendi; ex unius captiui uel fide uel
animo pendere et regis salutem et suam. Tandem uenere in iugum. A dextra iter ad ipsum Ario
barzanem erat. Hic Philotam et Coenon cum Amynta et Polypercontem expeditam habentes
manum relinquit, monitos ut quia eques pediti erat mixtus, qua pinguissimum
esset solum et pabulum fertile, sensim procederent. Duces erant itineris de captiuis
dati. Ipse cum armigeris et ala quam agema appellabant ardua semita, sed longius
a stationibus hostium remota, multa cum uexatione processit. Medius erat dies et fatiga
tis necessaria quies. Quippe tantundem itineris supererat quantum emensi erant, sed minus prae
cipitis atque ardui. Itaque refectis cibo somnoque militibus secunda uigilia surgit, ad planiora
et cetera quidem haud aegre praeteriit. Ceterum qua se montium iugum paulatim dimit
tit, ingens uorago concursu cauata torrentium iter ruperat. Ad hoc arborum rami
alius alio implicati et cohaerentes ut perpetuam obiecerant sepem: desperatio igitur ingens
adeo ut uix lacrimis abstinerent incesserat. Praecipue obscuritas terrori erat. Nam
etsi qua sidera interlucebant, continenti fronde tectae arbores respicere prohibebant.
Ne aurium quidem usus supererat, siluas quatiente uento, qui concurrentibus ramis ma
iorem quam pro flatu sonum edebat. Tandem expectata lux omnia quae terribiliora
nox fecerat minuit. Circumiri breui spatio poterat eluuies et sibi quisque
dux itineris coeperat fieri. Euadunt ergo in editum uerticem, ex quo hostium

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_914/0061
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG